



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

HUARIENSIS*

**IN PERUVIA PRAELATURA TERRITORIALIS HUARIENSIS
AD GRADUM AC DIGNITATEM DIOECESIS EVEHITUR
SERVATIS IISDEM FINIBUS ET NOMINE.**

Solet Apostolica Sedes, cum rerum adiuncta id suadent, in Nationum territoriis ubi Christifidelium communitates iam existunt, Praelaturas pro tempore condere earumque regimen Pastoribus Praelatis, etiam episcopali dignitate praeditis, committere, ut ipsi in iisdem pastorales structuras instituant ac perficiant donec Praelaturae ad eam religiosae vitae firmitatem, quae par sit dioecesi, perveniant. Cum vero Praelatura territorialis Huariensis, hisce recentioribus annis catholicorum fidelium numero operibusque religiosis et civilibus auctis haud parva incrementa cepisset, Venerabilis Frater Hector Michael Cabrejos Vidarte, O.F.M., Archiepiscopus Metropolita Truxillensis atque Conferentiae Episcopalis Peruviana Praeses, eadem Conferentia audita, ab hac Apostolica Sede petivit ut ista Praelatura territorialis ad gradum ac dignitatem dioecesis eveheretur. Nos quidem existimantes id in animarum bonum esse cessurum, favente quoque eidem rei Venerabili Fratrem Rino Passigato, Archiepiscopo titulo Novacaesariensi et in memorata Natione Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate, Praelaturam territorialem Huariensem ad gradum ac dignitatem dioecesis attollimus, servatis iisdem finibus, quibus nunc ipsa terminatur, et nomine. Sic conditae dioecesis sedem in urbe Huari ponimus, ibique exstans praelaticium hucusque templum, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis a Rosario et Sancti Dominici de Guzman dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus cuique propria insignia, privilegia honoresque tribuimus. Insuper Venerabilem Fratrem Ivonem Baldi Gaburri, hactenus Episcopum Praelatum Huariensem, Episcopum dioecesanum Huariensem

nominamus, iisdem honoribus, insignibus, privilegiis, iuribusque ornatum atque oneribus officiisque adstrictum, quae ad Episcopos residentes de iure pertinent. Praeterea dioecesim Huariensem suffraganeam metropolitanae Sedi Truxillensi confirmamus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Truxillensis subicimus. Cetera prorsus secundum canonicas leges temperentur. Haec omnia perficienda committimus praedicto Apostolico Nuntio vel, absente eo, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Peruvia, eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die secundo mensis Aprilis, anno Domini bis millesimo octavo, Pontificatus Nostri tertio.

THARCISIUS card. BERTONE <i>Secretarius Status</i>	IOANNES BAPTISTA card. RE <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. C (2008), n. 7, pp. 419-420 © Copyright 2008 - Libreria Editrice Vaticana